



tij, Arcadii fuere denominata, vid. Sozom. VII. 15. Ab alia quoque occasione v. c. a loco, a præsentia imperatoris, a veteribus possessoribus (v. c. Lateranensis ideo sic dicta, quod basilica, quæ in templum conversa est a quodam Latera sub Nerone fuit possessa,) a quodam beneficio Ecclesiæ, quod ex hoc templo enatum est, v. c. templum Constantinopoli erat quod *ἀναστάσις* ideo vocabatur, quod purior doctrina in illo post Arianismum emergere et quasi reviviscere coepit. Procedente tempore et gentilismo sensim in ecclesiam irrepente, templa sanctis, tanquam diis tutelaribus perperam fuere dedicata et ab illis quoque nomina traxerunt. Hæc de templis Christianorum in universum dixisse sufficiant.

*Viri Magnifice,  
Summe Venerandi, Consultissimi, Experientissimi,  
Doctissimi,  
Viri omnium ordinum longe celeberrimi.*

Templum academicum, quod Wittenbergæ est, iam ex cinere, ad quem elapsi belli iniuria redactum erat, surrexit: diesque instat, quo publice dedicabitur Deoque Statori huius multis nominibus venerandi templi de nouo consecrabitur. Quilibet verus verbi diuini et cultus repurgati amator hoc templum vel ideo magni facit, quod ex illo quasi primordia reformationis enata, et ex hoc Zione splendor euangelii obnubilatus antea denuo emicare omniumque oculos collustrare coepit. Hoc nomine templum illud veluti mater omnium templorum nostræ repurgatæ religionis sacrorum considerandum est. Quilibet ergo verus Christianus hilaritate non perfundi nequit, quod hic dies nobis tandem Dei beneficio appropinquet, quo templi huius dedicatio solennis fieri et Deo Opt Max. grates debitæ pro auxilio, quod in hoc templo exstruendo quam benignissime præstitit, persolui possunt. Quid ego igitur facerem cuius quondam Vester atque cliens, quin gaudium animi mei de hoc felicissimo et candidissimo calculo connotando